

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08


Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

DE HISPANIA ISLAMICA, ARABICE VOCATA *Al-Andalus*

Melissa quae quocumque volitare solet mense Maio Hispaniam (v. Sevilla) appulsa est, unde Baeticam sive Vandalicam diligenter obiit.

Propter horti-
nam Expositionem
Universalem Hispan-
ensem, multitudo
hominum undique
terrarum in Hispan-
iam confluit. Qua
occasione data aliae
extraordinariae expo-
sitiones fiunt, inter
quas una maioris
momenti quae habetur
Illiberi (v. Granada) in
Castello Rubro (Alhambra),
cura musei Neoeboracensis
c.n. The Metropolitan Museum
of Art. Titulus expositionis est «Al



Andalus», quod fuit nomen Arabi-
cum Hispaniae cum esset sub
Arabum ditione. Quae expo-
sitione maxima est unquam
instructa ad artificia exhi-
benda quae pertinent ad
cultum civilem Hispan-
iae Mahometanae.
Curatores enim Ame-
ricani effecerunt ut
multa artificia affer-
rentur ex museis to-
tius orbis terrarum;
librum etiam cons-
cripserunt ubi recen-
tiores notiones de his-
toria Hispaniae Islami-
cae dilucide exponunt,
praecipue nitentes in fon-
tibus Arabicis. De rebus ex-
positis earumque contextu his-
torico nonnulla narrabo, cum sint
parum notae.

Arcula Pampelonensis

Eburnea arcula, cuius anaglypta in hac imagine partim ostenduntur, confecta est circa annum millesimum, regnante calipha Hisham II; cuius effigies verisimiliter hic caelata est. Sedet in throno, quem sustentant leones. Duo aularii eum colunt, alter muscario, alter turibulo.

Debilissimum factum erat octavo saeculo Visigothorum regnum in Hispania. Quam occasionem non amiserunt Mahometani bellatores, qui Africam septentrionalem iam pervaserant usque Abylam, Herculis columnam meridionalem. In eorum conspectu erat altera columna, Calpe (v. Gibraltar) in litore Hispanico sita. Fama fert caliphae Umayyadae legatum in Mauretania, nomine Musa ibn Nusayr, turmam equitum Arabum Maurorumque trans fretum Gaditanum in Hispaniam exposuisse mense Aprili anno 711. Propter huius turmae ducis, qui vocabatur Tarik, nomen Calpes mutatum est in «Djebel Tarik» (i.e. Tariki mons), quod in Europaeis sermonibus factum est «Gibraltar».

Intra paucos menses Visigothi devicti sunt, Toletum regni caput expugnatum est atque rex Rodericus in Cantabrorum invios montes confugit. Omnes Hispaniae regiones etiam remotiores incursum Mahometani. Anno 714 Caesaream Augustam (v. Zaragoza) capiunt. Etiam ultra Pyrenaeos montes in Aquitaniam faciunt incursiones; Tolosam (v. Toulouse) oppugnant anno 719; inde ad Ligerim pergunt sed tandem anno 732 a Carolo Martel devincuntur et in Hispaniam compelluntur.

Fontes desunt quibus plane scire possimus quid re vera actum sit in Hispania inter annum 715 et 756, dum Damasci regnat stirps Umayyadarum. Caliphae praefectus saepissime mutatur. Praeterea quid praedae Arabes ex Hispania deduxerint vix scimus: succinum, quod ex regionibus septentrionalibus Europae proveniebat atque rarum pretiosumque erat Damasci; servos etiam tam



mares quam feminas, qui magni aestimabantur propter corporis firmitatem vel pulchritudinem.

Scitu difficile etiam est quando et quomodo regio eiusque incolae ad Islamismum transformati sint. Pauci verisimiliter fuerunt immigrantes Arabes et Mauri; praeterea viri tantum immigraverunt, qui necessario cum mulieribus indigenis concubuerunt. Ergo iam ab initio cultura fuit mixta; Christiani et Mahometani cohabitabant atque quisque more Deum colebant ecclesiis alterna vice utentes. Christiani non celeriter ad Islamismum se convertisse videntur.

Primi Mahometani immigrantes in urbibus domicilium collocaverunt; vix videntur agros occupavisse usque medium octavum saeculum.

Magni momenti fuerunt urbanae consortiones Iudaeorum, quae solebant vexari a Christianis regentibus. Cum sub ditione Islamica legibus protegerentur, libenter Mahometanos dominos adjuverunt. Praeterea per ingens Umayyadarum imperium facile communicare poterant cum maioris auctoritatis sedibus Iudaismi mediaevalis, quae prope Bagdad florebat.

Inexpectato evento longinqua variaque Hispanica provincia imperii Umayyadarum magnam auctoritatem politicam culturalemque sibi comparavit. Medio enim octavo saeculo ortum est bellum civile in Umayyadarum imperio. Anno 750 omnes viri stirpis Umayyadarum, cum una epularentur, per insidias trucidati sunt. Abassidarum domus imperio potita est atque relicta Damasco sedem suam collocavit in Mesopotamia ubi novam urbem



A sinistris, aquaeductus Romanus Emeritae exstructus; a dextris, meschitae Cordubensis pars vetustior - columnae capitellaque prioris aetatis sustentant arcus in duobus superpositis ordinibus dispositos; cuius dispositionis exemplum apparet in Emeritae aquaeductu Romano.

condidit «Madinat al-Salam» vocatam (i.e. Urbs Pacis), quae vulgo nominabatur Bagdad.

Unus tantum Umayyadarum, cum lethalibus epulis non interesset, se fugae mandare potuit valuitque insidias vitare. Anno 755 tandem pervenit in Hispaniam, ubi bene acceptus est ab Arabibus quorum plerique eius populares erant, cum etiam ex Syria essent oriundi. Intra nonnullos annos omnes Mahometanos phylarchos in dicionem suam redegit atque sedem novi regiminis Cordubae collocavit.

Ex hoc minimo ramo crevit nova Umayyadarum stirps quae memoriam amissae Syriae in Hispania colendam curavit.

Tam inops erat in initio regnum «Al Andalus» ut primus dux Abd-al-Rahman tantum triginta annis post adventum suum ad meschitam Cordubae aedificandam operam dare posset. Antea Christiani et Mahometani alterna vice utebantur ecclesia Sancti Vincentii. Quam ecclesiam Abd-al-Rahman delevit, pecunia Christianis data, atque anno 785 meschitam aedificare coepit. Opus intra unum annum perfectum est.


Usque ad hoc tempus Romanorum vestigia ubique conspiciebantur et Visigothi architecturam Romanam vix mutaverant. Meschitae Cordubensis architecti non solum adhibuerunt spolia pristinorum aedificiorum velut columnas capitellaque, sed nonnullas superioris aetatis formas sibi assumpserunt, id quod verisimiliter consulto factum

est ne novum aedificium incolis indigenis nimis extraneum videretur. Arcus, qui in meschitae columnis nituntur, in duobus superpositis ordinibus disponuntur; quae dispositio iam conspiciebatur e.g. Emeritae (v. Merida) in aquaeductu Romano. Praeterea huius aquaeductus arcus constant ex zonis lapideis candidis et latericiis rubris alternatim dispositis; eadem dispositio invenitur in meschitae arcubus. Ceterum architecti saepe adhibuerunt arcum ultra dimidium circulum curvatum, quae forma iam vigeat in ecclesiis tempore Visigothorum exstructis (cfr imagines).

Novas tamen formas finxerunt atque exempla pristina maxima cum libertate secuti sunt, ita ut novum ornamentum genus appareret, cuius maxima singularitas est iconum absentia; est ars aniconica, ut aiunt historici.

Cum opes potentiaque regni «Al Andalus» celeriter auferentur, successores ducis Abd-al-Rahman meschitam Cordubensem compluries auxerunt.

Dux Hisham I (788-796) introduxit systema legale Mahometanum. Duci Abd-al-Rahman II (822-852) bellandum fuit cum recentibus septentrionalibus regnis Christianis, cum nonnullis re-




A sinistris, porta cuiusdam ecclesiae Visigothicae (San Juan de Banos); a dextris, porta meschitae Cordubensis - in lineamentis ambarum portarum manifesto apparet idem arcus ultra dimidium circulum curvatus. Magnae tamen sunt differentiae: arcus ecclesiae est verus arcus, cuius clavi lumen ostii delimitant. Arcus meschitae tantum est ornamentum supra ostii lumen positum; clavi alternatim candidi et rubri ex tectorio opere facti in muro sunt appositi.

bellantibus phylarchis, quin etiam cum illis septentrionalibus piratis (v. Viking), qui non dubitaverunt adversum flumen Baetem subire ad Hispalim populandam.

Regnum ad fastigium potentiae duxit Abd-al-Rahman III (912-961), qui sua ipsius auctoritate sibi recuperavit titulum caliphae, quo ante duo saecula exuti erant eius maiores in Syria.

Difficile est percipere qualis fuerit vita et cultura hominum huius temporis. Ibn Hawqal, geographus Bagdatensis qui tunc Cordubam adit, omnia despicit ut decet viro cui contingit in umbilico orbis Mahometani vivere. Facere tamen non potest quin miretur copiam metallorum, quibus Hispania abundat, et praesertim multitudinem servorum Scandinavorum Slavorumque. Laudat qualitatem textilium omnis generis, quae quocumque orbis Mahometani exportantur. Stupens invenit elephantorum dentium copiam ex confinio Mauretaniae importatam.



Pyxis eburnea decimo saeculo caelata (Londinii in museo Victoriae et Alberti). Huius generis pyxides continebant pretiosa dona ut seplasia.


Ut optimates se gerunt Mahometani in Hispania, qui sunt sive Arabes ex oriente advecti, sive arabizati Mauri ex Africa septentrionali oriundi, sive indigenae Christiani ad Islamismum conversi. Multi tamen Christiani, qui culturam Arabicam sibi assumpserunt et hac de causa "Mozarabes" vocantur, fidem Christianam firmiter servaverunt... tam firmiter re vera ut rixae fierent cum Mahometanis, praecipue nono saeculo. Sed Christiani a regimine crudeliter coercentur et non pauci Cordubae necantur.

Primus calipha Abd-al-Rahman III auget atque ornat meschitam Cordubensem ut par fiat suae novae maestati. Syriae semper memor, meschitae cavaedium reficit secundum formam cavaedii meschitae Damascensis; addit altam quadratam-

que turrim. Huius generis turres tunc temporis in orbe Islamico erigi coeperunt; vocantur "minareta" et sunt signa praestantiae Mahometanae.

Christiani dolent quod contra usum pristinum campanilia delentur. Clocae non iam sonant; sola auditur rauca vox praepositi, qui Mahometanos ad orandum quinquies in die vocat.

Secundus calipha al-Hakam II, Abd-al-Rahmanis III filius, perficit sumptuosam transformationem meschitae Cordubensis. Rem in meschitis inusitatam tunc exstruendam curat. Ante aediculam Corano exponendo destinatam ('mirhab') instruit exedram ('maqsura') cui superstat tholus. Haec nova forma quandam similitudinem praebet cum dispositione ecclesiae Mozarabicae Sancti Michaelis de Escalda decimo saeculo exstructae. Hoc videtur factum esse ne Christiani, quorum plures in dies ad Islamismum se convertebant, nimis perturbarentur in consuetudinibus suis.



In meschita Cordubensi: exedra exstructa a calipha al-Hakam II ('maqsura')

Mirandum etiam in hac meschitae parte est opus musivum, quod vix alibi invenitur in orbe Mahometano; certe est recordatio magnae meschitae Damascensis, Umayyadarum cordi carissimae. Notandum est hoc opus musivum ab artificibus Byzantinis confectum esse, cum basileus Constantinopolitanus necessitatem cum calipha coniunxisset, ambobus luctantibus cum calipha Bagdatensi. ■ *(sequetur)*

Gaius LICOPPE

DE COMENIO CELEBRANDO

MEMORAVIT FRANCISCA DERAEDT

Hoc anno quadringentesimus celebratur Comenii natalis; est enim ille maximus paedagogus natus anno 1592 in Moravia. In eius honorem associatio c.n. UNESCO annum 1992 vocavit annum Comenianum et in urbe Berlino, in qua bis moratus est, erecta est Comenii statua ad quam inaugurandam venire dignatus est Alexander Dubcek hodie praeses parlamenti Bohemo-Slovacensis et nuper propugnator infelicis Veris Pragensis (vide photographema). Qua occasione data praeses Dubcek dixit Comenium populis Europaeis exemplo esse debere, quo inter se melius intellegent coalescerentque.

Nam Comenius multa itinera fecit, sive propter studia sive persecutionibus coactus, viros sui temporis illustres convenit (inter quos Renatum Cartesium, i.e. Descartes), libros edidit philosophicos et paedagogicos qui in tota Europa legebantur.

Opera autem sua imprimis Bohemice scripsit, postea Latine. Nam, cum initio libros in publicum proposuisset qui suae genti usui esse possent,



postea fuit cogitandum de latiore fama. Qui autem extranei libros Bohemicos legissent? E contario lingua Latina "gentium multarum agit Mercurium", ut in *Linguarum methodo novissima* scribit. Hac aliisque de causis ei videtur esse inter omnes linguas maxime colenda.

Etiam hodie opera Comenii valde sunt digna, quae lectoribus commendentur. Eius celeberrimus *Orbis sensualium pictus*, quo imaginibus docetur, adhuc invenitur in Germanica domo editoria c.n. "Die bibliophilen Taschenbücher" (n°30). Ceterum eius opera omnia hoc saeculo Pragae in lucem iterum edita sunt sumptibus Academiae Scientiarum Bohemo-Slovenicae. Magistri, si vobis contingeret, ut nonnulla eorum legatis, fortasse vobis in mentem veniet illam civitatulam Latinam instituere, quam Comenius condere cupivit, in qua discipuli Latine loquerentur et quae vocaretur *Latium redivivum*.¹ ■



(1) Cfr A. FRITSCH, *Comenius praeceptor gentium Europae*, in *Actis Symposii Latini* 25-27 m. Oct. 1991, Bruxellis apud Melissam, 1992, pp. 87-102.

Professori Andreae Fritsch plurimas gratias agimus quod propter suam benevolentiam nobis praebuit has pulchras imagines.

AMERICA

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

Americus Vespucci sive Vesputius Florentinus (1454-1512) non est nauta. Anno 1492, quo Christophorus Columbus novas terras invenit, Hispani moratur ubi munere fungitur negotiatoris argentarii-que.

Cur mense Maio anni 1497 idem vir stet in stega navis, quae Gadibus solvit novum orbem petitura, certe quaeritis. Ei, quippe qui esset argentarius, paulo ante pecunia fuit praebenda qua naves munitur. Sic factum est ut Columbum conveniret. Vesputius est vir curiosus et satis dives. Delectationis causa statuit iter facere.

Quattuor faciet itinera, quorum relationes maiorem famam habebunt qua Columbi narrationes. Hac de causa, ut videtur, novus mundus non vocatur "Columbia", sed "America"...

Prima relatio est «Epistula ad Laurentium di Medicum, eius patronum Florentinum. Quod opusculum Italice conscriptum in Latinum statim vertitur a scriptore c.n. Fra Jocondo atque annis 1503-1504 Parisiis Florentiaeque in publicum proponitur. Multae sunt editiones. Editur postea aliud scriptum («Lettera di Amerigo Vespucci delle isole nuovamente trovate in quattro suoi viaggi», anno 1505 vel 1506), cuius versio Francogallica dedicata est Renato Secundo duci Lotharingiae. Qui dux textum tradit secretario suo Valthero Lud.

Ignoscant lectores quod eos tot ambagibus circumduco ex Italia ad Francogalliam, a novo orbe in Alsatiam, sed revera America nata est... in Monte Vosego.

Ille Valtherus Lud non est nemo. Secretarius cappellanusque ducis Lotharingiae, canonicus, multis honoribus est ornatus. Est autem oriundus ex vico c.n. Saint-Dié-des-Vosges, in quo, impellente duce Renato Secundo, circulum doctorum condidit: Gymnasium Vosagense. "Gymnasium" hic intelligatur oportet sensu antiquo: est locus quo homines

eruditi ad disputandum conveniunt, ut Tusculi fieri solebat apud Ciceronem.

Docti autem, qui Gymnasium Vosagense frequentant, geographiam praesertim colunt. Unus ex eis, nomine Iohannes Basin, narrationem Americi Vespucci de qua supra actum est in Latinum vertit sub hoc titulo: «Quattuor Navigationes». Qui textus anno 1507 editur in secunda parte libri c.t. «Cosmographiae Introductio».

Antequam «Quattuor Navigationum» excerpta lectoribus proponam (in hoc proximoque fasciculo), Vosagensis illa «Cosmographiae Introductio» memoratu digna est propterea quod in hoc opere primum legitur nomen Americae: nam docti Vosagenses ibi proponunt ut nova continens vocetur America propter Americum Vespucci:

gillatim enumerare longa mora esset. Ita dicta ab eius nominis regina.

¶ Nunc vero & haec partes sunt latius illustratae & alia quarta pars per Americum Vesputium (ut in sequentibus audietur) inventa est: quam non video cur quis iure vetet ab Americo inventore sagacis ingenij viro Amerigen quasi Americi terram/sive Americam dicendam: cum & Europa & Asia a mulieribus sua sortita sint nomina. Eius situm & gentis mores ex his binis Americi navigationibus quae sequuntur liquide intelligi datur.

¶ Hunc in modum terra iam quadripartita cognoscitur: & sunt tres primae continentes: quarta

Si quis hoc opus maximi momenti cupit suis ipsis oculis inspicere, eat Selestadium (v. Sélestat) in Alsatiam: est ibi puerissima bibliotheca humanistica in qua hic multae alii libri servantur.

Ceterum ipsum Vesputium legamus:

ipsas regiones (i.e. Hispania) mercandi causa primum venerim. Dumque per quadriennium revolutionem in eis rebus negotiosus essem et varias fortunae mutationes animadverterem, atque viderem quo pacto caduca et transitoria bona hominem ad tempus in rotae summo tenerent et deinde ipsum praecipitarent ad inum, qui se possidere multa dicere poterat, constitui mecum variis talium re-

AMERICI VESPUTII NAVIGATIO PRIMA. Fieri potest, illustrissime rex, ut tua Maiestas mea ista temeritate ducatur in admirationem, propterea quod hasce litteras tam prolixas ad te scribere non subverear, cum tamen sciam te continuo in arduis consiliis et crebris rei publicae negotiis occupatissimum. (...)

Inclutissime rex, sciat tua Maiestas quod ad

rum casibus exantlatis istiusmodi negotia dimittere et meorum laborum finem in res laudabiliores ac plus stabiles ponere. Ita disposui me ad varias mundi partes contemplandas et diversas res mirabiles videndas. Ad quam rem se et tempus et locus opportune obtulit. Ipse enim Castiliae rex Fernandus tunc quattuor parabat naves ad terras novas occidentem versus discooperiendas, cuius celsitudo me ad talia investiganda in ipsam societatem elegit. Et solvimus XX die Mai, MCCCCXCVII, de portu Caliciae¹, iter nostrum per magnum oceani sinum capientes... (...)

Tali navigio transcurrimus, ut viginti septem vix elapsis diebus, terrae cuidam applicaremus, quam firmam fore existimavimus. (...) Quo quam primum pervenimus, gentem nudam secundum litus euntem innumeram percepimus, unde non parvo affecti fuimus gaudio: omnes enim qui nudi incedere conspiciebantur, videbantur quoque propter nos stupefacti vehementer esse, ex eo, ut arbitror, quod vestitos alteriusque effigiei quam ipsi forent, nos esse intuiti sunt. Hi, postquam nos advenisse cognoverunt, omnes in propinquum montem quendam aufugerunt, a quo tunc nec nutibus, nec signis pacis et amicitiae ullis, ut ad nos accederent, allici potuerunt.

Irruente vero interea nocte, nos classem nostram male tuto in loco, ubi nulla marinas adversus procillas tuta residentia foret, considerare timentes, convenimus una, ut hinc mane facto discederemus, exquirereque portum quempiam, ubi nostras statione in tuta collocaremus naves.

Qua deliberatione arrepta, nos vento secundum collem spiranti traditis velis, postquam, visu terram ipsam sequendo atque ipso plagae in litore gentes continue percipiendo, duos integros navigavimus dies, locum navibus satis aptum comperimus. In quo media tantum leuca distantes ab arida constitimus vidimusque tunc inibi innumerabilem gentium turbam, quam nos comminus inspicere et alloqui desiderantes, ipsamet die litori cum cymbis et naviculis nostris appropinquavimus, necnon et tunc in terram exivimus, ordine pulchro XL circiter viri, huiusmodi gente se tamen a nobis et consortio nostro penitus alienam praebente, ita ut nullis eam modis ad colloquium communicationemve nostram allicere valuerimus, praeter illos paucos quos, multos post labores ob hoc susceptos, tandem attraximus ad nos, dando eis nolas, specula, crateres crystallinos aliaque similia levia; qui tum securi de nobis effecti, conciliatum nobiscum necnon de pace et amicitia tractatum venerunt.

Subeunte autem interim nocte, nos ab illis nosmet expedientes, relictis eis, nostras ingressi sumus ad naves.

Postea vero subsequentis summo diluculo diei, infinitam in litore virorum et mulierum parvulos suos secum vectantium gentem rursus conspexi-

mus, cognovimusque multitudinem illam supellectilem suam secum deferre totam, qualem infra suo loco dicitur.

Quorum complures, quamprimum terrae appropinquavimus, semet in aequor proficientes, cum maximi natatores existant, quantus est balistae iactus nobis venerunt natantes obviam. Susceperunt nos humaniter atque ea securitate et confidentia seipsos inter nos commiscuerunt ac si nobiscum diutius antea consuevissent et pariter frequentius practicavissent. Pro qua re tunc haud parum oblectati fuimus.

De quorum moribus, quales eos habere vidimus, hic quandoquidem se commoditas offert, interdum etiam interserimus.



DE MORIBUS AC EORUM VIVENDI MODIS. Quantum ad vitam eorumque mores, omnes, tam mares quam feminae, nudi penitus incedunt, tectis non aliter verendis, quam cum ex utero prodierunt. Hi mediocri ex-

istentes staturae multum bene proportionati sunt, quorum caro ad rubedinem, veluti leonum pilli, vergit; qui si vestimentis operiti mearent, albi credo tamquam nos extarent.

Nullos habent in corpore pilos praeterquam crines, quos proceros nigrescentesque gerunt, et praesertim feminae, quae propterea sunt tali longo nigroque crine decorae. Vultu non multum speciosi sunt, quoniam latas facies Tartariis adsimilatas habent. Nullos sibi sinunt in superciliis oculorumve palpebris ac corpore toto, crinibus demptis, excrescere villos, ob id quod habitos in corpore pilos quid bestiale brutaleque reputant.

Omnes, tam viri quam mulieres, sive meando sive currendo leves admodum atque veloces existunt, quoniam, ut frequenter experti fuimus, ipsae etiam mulieres, unam aut duas percurrere leucas, nihil putant; et in hoc nos Christicolae multum praecellunt. Mirabiliter ac ultra quam sit credibile natant, multo quoque melius feminae quam masculi, quod frequenti experimento didicimus, cum ipsas etiam feminas, omni prorsus sustentamine deficientes, duas in aequore leucas pernatere perspeximus.

Arma eorum arcus sunt et sagittae, quas multum subtiliter fabricare norunt. Ferro metallisque aliis carent; sed pro ferro bestiarum pisciumve dentibus suas sagittas armant, quas etiam, ut fortiores existant, unamquamque saepe praeurunt². ■

(sequetur)

(1) Calicia = Gades (Cadix)

(2) Simonis GRYNÆI *Novus orbis regionum ac insularum veteribus incognitarum, Basileae apud Io. Hervagium, 1555, pp. 210 sqq.*

IOSEPHI MARIANI PARTHENII SIVE MAZZOLARI (1712-1786) EPISTULAE (II)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

III

Parthenius Petro Codelio libero baroni de Shanersaldio S.P.D.

(...) Iam ut ad illud respondeam, quod a me percunctaris, quid nimirum sentiam de quibusdam orationibus nuper editis, dico auctorem mihi esse prorsus ignotum; sed hac de re non est cur labores. Habes Ciceronis orationes; has legas. Plus una hora, quam in lectione Ciceroniana impenderis, tibi proderit, quam reliquorum auctorum ad plures menses producta lectio. Ego cum a Cicerone discedo, vix praecipuos oratores, qui ab illo extiterunt, adeo; reliquos et maxime recentes facile praetereo. Si plus ingenii ad lectionem Ciceronianam attulissem, plus certe profecissem; sed haec ipsa ingenii mei exiguitas, si quid non contemnendum extulit, id unum acceptum refert Ciceroni. Urge igitur, si me audis et aliquid laude dignum vis efficere, Ciceronianam lectionem. Tantum auctorem et magistrum noli facile de manu deponere et conare te ad illius similitudinem fingere. Tibi vero persuadeas rem hanc nec esse exigui laboris nec temporis; totum, uti dicitur, requirit hominem et tempus omne, quod a reliquis studiis vacuum nancisci poteris, sibi vindicat. Magna res est eloquentia atque haud scio an rerum omnium maxima, quae non verbis tantum quantumvis electis et elegantibus, sed ex plurimarum doctrinarum copia et cognitione efflorescit. Haec scribo non deterrendi tui causa, sed inflammandi. In aliis studiis aliis obtemperabis, in hoc mihi parebis. (...)

IV

Parthenius Nicolao Mosconio sororis filio S.P.D.

Accepi litteras tuas X. kal. Mart. datas, et eas quidem Latine scriptas. Miror inprimis tabellarij cessationem, qui tantum temporis in decurrenda via consumpserit, ut si testudinis pedibus iter esset ingressus, multo sane celerius illud confecisset, litteraeque ad me citius tuae pervenissent. Sed video te in notandis calendis esse hallucinatum; quare moneo, sis in posterum diligentior. Quod

autem ad epistolam attinet, ea mihi non probatur; sed si cum superioribus, quas ad me scripsisti, comparetur, digna est quam aliqua laude prosequar. Satis Latina est, satis apta et contexta sententiis. Si Ciceronis epistulas minus intellegis (egent enim multis in locis interprete), lege Latinas aut Bembi, aut Sadoleti, aut Pauli Manutii doctorum omnium consensu probatissimas. Ciceronis lectio ut omnibus est consulenda propter summam scriptoris excellentiam, ita ob hanc ipsam causam non omnibus est ingenii accommodata. Ceterum postrema haec epistola tua multo sane, quam superiores, castigatior est, ex qua quantum ex meis ad te perscriptis animadversionibus profeceris intelligo. Nec vero non colligo quantum profecisses, si rectiorem institutionem doctoresque magis idoneos habuisses. Praesentia certe mea aliquid ad profectum tuum conferret, sed, ut ad te scripsi, neque ego Aesii neque tu Romae esse possumus. Utere igitur iis doctoribus, in quorum datus es disciplinam atque hac in re patri tuo morigerum te praebe, eiusque imperio, ubicumque te esse voluerit et quoscumque audire doctores iusserit, acquiesce. (...)

V

Parthenius Alberto de Albertis sodali carissimo suo S.P.D. Venetias

Miseret me tui vicemque tuam cottidie non sine doloris sensu animo propositam habeo. Lacuna ista conclusus teneris, unde nusquam perrepere potes nisi navicula invectus. Nullus arborum viridantium aspectus, nulla ex patenti atque herbosa planitie voluptas. Nihil oculis fere occurrit praeter aquam et infinitam cymbarum ultro citroque discurrentium multitudinem, quarum rerum aspectum consequatur satietas necesse est. Aedificiorum magnificentia, tabularum ac signorum praesentia te ne tangit quidem, quem nec Roma ipsa hoc rerum genere abundans delectabat. Frequencia vero et celebritas urbis inimica sunt hominum secessum amanti et sibi vivere cupienti. Istam ego urbem ut pulchram ad visendum, sic iniucundam ad incolendum duco. Quid quod commorationi istae tuae per se satis odiosae domesticae accesserunt



molestiae, ex quibus ego quoque tantum aegritudinis capio, quantum decet amicum capere qui te unice amat ac diligit? (...)

VI

Parthenius Scipioni Stambrino advocato S.P.D.

Redeo ad colloctionem illam nostram qua, ut scripsi, nihil mihi neque gratius accidere potuit neque iucundius, addo etiam neque incertis hisce temporibus opportunius. Inter alia mirifice illa tua liberali ac benevola domum tuam invitatione captus sum, si quid forte eveniat quamobrem hinc, ubi libentissime ac placidissime diversor, demigrare cogar. Dixisti praeterea duo vacua apud te patere cubicula, quamquam mihi satis unum superque esset, in editiori parte domus constituta, a via publica aversa et ad medium conversa diem; quae quidem ego plane perspicio mihi iam vetulo et hiberni frigoris vim summopere extimescenti, si quando ea contingeret incolere, fore accommodatissima. Quamquam, vere ut dicam, praeter contubernium tuum et iucundissimam vitae victusque consuetudinem non tam illa commoda sectarer, quam atque adeo praecipue Exquillinae basilicae propinquitatem sequerer, a qua longius, quam nunc sum, recedere nullo pacto sustinerem, oblato vel lautissimo intra urbis celebritatem et frequentiam domicilio. Tanta enim opportunitas in illa sacra aede vel ad animi vel ad corporis salutem mihi ostenditur, ut omnibus commodis, quae praestare quivis locus posset, anteferendam putem. Cottidie magis, mi Scipio, ingravescit aetas, debilitantur corporis vires, animi robur infringitur, ut non iam de migratione de domo in domum, sed de emigratione e vita cogitandum mihi sit. Aeternitatis iter capessendum est, lubricum sane ac perdifficile; vetere relicta nova adeunda domus, incertus supernane an, quod Deus avertat, inferna. In hoc tam ancipiti rerum discrimine quid salutaris, quam illi non tam animo quam domicilio adhaerere, quae tibi una possit secundum Deum beati ac superni domicilii ianuam patefacere «et te recipere in aeterna tabernacula»? Sed ut revertar eo, unde digressus sum, tibi persuadeas velim nihil mihi gratius a te fieri potuisse liberalissima illa invitatione tua. Ego vero cum erga omnes, qui me aliquo officio prosequuntur, summopere afficiar, tum praesertim erga hospites meos, et qui sunt et quicumque in hac tanta rerum nostrarum inconstantia futuri sunt, praecipuo grati animi sensu moveor et vero etiam quodam veluti impetu feror. Amplector igitur vehementer tam benevolam voluntatem tuam pro eaque tibi maximas ago et habeo gratias, qua etiamsi fortasse non utar, non idcirco erit, cur minus tibi debeam; voluntate enim magis quam re beneficia metiuntur, quae una si

desit, vix ac ne vix quidem beneficio locus relinquitur. Vale.

VII

Parthenius Antonio Morcellio sodali suo S.P.D.

Vehementer gavisus sum cum primum audivi te non modo Romam cogitasse sed deliberasse omnino reverti, atque adeo te iam in viam dedisse. Quantum enim mihi abitus ab Urbe tuus maerore, tantum certa deliberatio reditus voluptati fuit. Cum autem et videre te reducem et amplecti licuit, multo gavisus sum magis, quandoquidem uno tempore tot mihi carissima restituta sunt: et dulcis amicus et fidus sodalis et iucundissimus olim contubernalis. Cum te patria complexu teneret suo et tanti te faceret, quanti sapientia tua merebatur, equidem miratus sum subitum illud a te captum fuisse consilium, ut et illam et ea, quae in avita domo cariora esse hominibus solent, relinqueres. Sed nimirum Roma miros quosdam sui amores excitat, quibus ingenuum quemque ac maxime liberalem capi necesse est. Verum tu multo altius in hac tua deliberatione spectasti, nimirum ut te tuis carissimis sodalibus restitueres et, si quando pateret ingressus, non longe a ianua abesses. Quae causa fuit praeter alias a me indicatas cur ego quoque, cum mihi plura extra Romam domicilia patuerint, Romae perstiterim, ne ab eorum contubernio disiungerer et, si per aetatem licebit, mihi quoque in pristinum contubernium pateret introitus. Vale et me divinae Matri vehementer commenda.

*
* *

Natus est Mazzolarius, qui dein pro sua in Virginem pietate Parthenium sese maluit appellari, in urbe Pisauo anno 1712. Cum esset Cremonae in Iesuitarum collegio eruditus, Societatem Iesu est ingressus; sacerdotii honoribus auctus multos per annos docuit Florentiae, Firmi, Romae in Collegio Romano praeclarissimo. Anno autem 1773 intercepta Ignatiana societate, Clementis Orlandi, architecti Romani, hospitium est nactus; quo e vivis erepto, in aedes quasdam Romanas ab extinctae societatis sodalibus nonnullis conductas se recepit; terrenam hanc vitam anno 1786 reliquit. Praeter orationes epistulas commentationes scripsit adstricta oratione *Electricorum libros* (Romae, 1767) omni laude dignos.

Index librorum commentationumque: Iosephi Mariani Parthenii e Societate Iesu Epistolae (Romae, 1863); Iosephi Mariani Parthenii e Socie-

tate Iesu Commentarii et ellogia, ed. Ios. Boerus (Romae, 1855); Stephani Antonii Morcelli Parergon inscriptionum novissimarum ab anno MDCCCLXXXIII, ed. A. Andreus (Patavii, 1818; p. 100; cfr. etiam Eiusdem Inscriptiones commentariis subiectis... (Patavii, 1823), p. 110); Bibliothèque de la Compagnie de Jésus, I, 5. Nouvelle édition

par C. Sommervogel (Bruxellis, Parisiis, 1894 = Haverlae, 1960), coll. 842-851; I. Parisella, "Quibus de causis quibusque rationibus imitandus Cicero secundum Parthenium", *Latinitas*, 6 (1958), 274-285; Aem. Springhetti (ed.), *Selecta Latinitatis scripta auctorum recentium* (saec. XV-XX) (*Latinitas perennis*, I) (Romae, 1951), passim. ■

DE TERRAE MOTU QUI LEODII ANNO MDCCCXXVIII FACTUS EST

SCRIPSERUNT MARCUS ET MARIA-HELENA MÉLARD-MARGANNE

Terrae motus qui urbem Leodium anno MCMLXXXIII concussit, multi sunt qui hodieque meminerint. Immo vero, die XIII^a mensis Aprilis praeteriti, quis est quin senserit terram tremere? Etsi nostra in regione terrae motus haud rari fuerunt, ut patet ex doctoris in historia Petri Alexandre operibus¹, tamen testimonia de his ostentis interdum desunt. Ita paene ignotus est terrae motus qui Leodii anno MDCCCXXVIII factus est. Cum autem anno MCMLXXXIX ineunte in Seminarii Maioris Leodiensis² perpulchra bibliotheca nuper renovata et omnibus tum clericis cum laicis investigatoribus aperta³ *Historiae Leodiensis* tomum primum Johannis Erardi Foullon⁴ evolve-remus, in hanc terrae motus Latinam narrationem in aversa prima pagina tituli manu scriptam incidimus, cuius orthographiam, interpunctionem et etiam lituram scrupulose servavimus⁵:

•Nota

Anno Domini 1828 23^a februarii mane circa horam octavam cum quadrante civitas Leodiensis diversos trementis terrae motus [7 vel 8 secundis] ac ictus sentivit, duravit hic terrae motus 7 vel 8 secundis. Jam ab aliquibus diebus tempus erat serenum ac barometrum ad pluviam usque descenderat, ast immediate post terrae motum idem barometrum tempestati appropinquabat; motum hunc sentire omnes civitatis partes et loca vicina, imo ipsae hullarum⁶ fossae seu foveae, seu concava, illae tremuere. Diversorum aedificiorum camini ceciderant, Collegii regii⁷ studiosi prae timore per fenestras saluerunt, ego ipse Seminarii Leodiensis professor ac theologos omni quâ poterant praecipitatione Seminario excurrentes vidi; haec scribens de

nullo infortunio adhuc certus eram. ita annotavi ego H.G. Wouters supradicti Seminarii bibliothecarius hâc 24^a februarii 1828.

Sequitur lineamentum Gallica lingua in codicologia «bout-de-ligne» appellatum⁸.

Cuius narrationis auctor, Henricus-Gulielmus Wouters (Oostham, anno MDCCCII - Lovanii, anno MDCCCLXXII) fuit bibliothecarius Seminarii Leodiensis ab anno MDCCCXXIV ad annum MDCCCXXXIV, priusquam historiae ecclesiasticae professor in Universitate catholica Lovaniensi nominatus est⁹.

Terrae vero motus iste, hodie parum notus, ut supra diximus, fuit in primis ingens Leodii et vicinis locis¹⁰, ut ad nos scripsit Petrus Alexandre, qui libellum de ista clade parat¹¹. Itaque cum ineditae testis illius oculati relationis aliquot litterae atramento pallescente iam paene evanuisserent, nobis visum est eam transcribere ut non solum historiae Leodiensis sed etiam Latini sermonis amoris testimonium illud pulchrum servaretur. Utinam Latinitatis vivae omnes fautores bibliothecarii nostri exemplum sine metu semper in posterum imitentur!

1. P. ALEXANDRE, *Catalogue des séismes survenus au moyen âge en Belgique et dans les régions voisines*, in P. MELCHIOR (ed.), *Seismic Activity in Western Europe, with Particular Consideration to the Liège Earthquake of November 8, 1983*, Dordrecht, 1985, pp. 189-203; *Id.*, *Les séismes en Europe occidentale de 394 à 1259*.

- Nouveau catalogue critique*, Bruxellis, 1990.
2. *Le Séminaire de Liège: 1592-1992. Catalogue de l'exposition mise sur pied au Séminaire du 8 septembre au 30 octobre 1992 pour marquer le quatrième centenaire de sa fondation*, edetur mense Septembri proximo.
 3. J.-P. DELVILLE et alii, *Ex libris. Livres rares et précieux des couvents de l'ancien Diocèse de Liège conservés à la bibliothèque du Grand Séminaire de Liège*. Catalogue, Leodii, 1988.
 4. [J.E. FOULLON], *Historia Leodiensis, per Episcoporum et Principum seriem digesta, ab origine populi usque ad Ferdinandi Bavari tempora, studio et accurato labore R. P. Foullon e Societate Jesu quondam adducta; Nunc primum ex Eruditorum scriniis in lucem edita; et Doctorum quorundam cura ad aetatem nostram suppleta*, t. I, Leodii, 1735 [32.C.14]. Quod opus postumum in tres tomos distribuitur quorum primus anno 1735, secundus anno 1736 et tertius anno 1737 Leodii impressi sunt apud Everardum Kints typographum ac bibliopolam in platea vulgo Souverain-Pont cum privilegio Suae Celsitudinis. De vita ac operibus R.P. J.E. Foullon: J. PETY de THOZEE, in *Biographie nationale*, VII (Bruxellis, 1880-1883), col. 207-209; C. SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, III (Bruxellis - Lutetiae, 1892), col. 899-903, n° 13.
 5. Gratias maximas agimus R.P. J.-P. Delville, Praefecto bibliothecae Seminarii Majoris Leodiensis, qui harum linearum septemdecim adhuc ineditarum (quod sciamus) evulgandarum licentiam nobis humanissime dedit.
 6. De hullis, vide C. DU CANGE, *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis*, III (Lutetiae, Didot, 1843), p. 727, s.v. hullae; J. HAUST, *Dictionnaire liégeois*, II (Leodii, 1933, repr. 1972), pp. 336-337, s.v. hoye; *Id.*, *L'étymologie du fr. houille*, in *Romania*, 62 (1936), pp. 532-533; J. MICHELET, *Liège et la houille*, in C. GAIER, *Huit siècles de houillerie liégeoise*, Leodii, 1988, pp. 17-36.
 7. Lycaeo imperiali et Gymnasio successit Collegium regium, qui post annum 1830 Collegium municipale et postea Collegium communale appellatum est et Athenaeum regium anno 1851 factum est. Quod Collegium regium anno 1828 in Crucigerorum via non longe a Seminario stabat. Vide X. DE THEUX DE MONTJARDIN, *Bibliographie liégeoise*, Brugis², 1885, repr. Viewwkoop, 1973, col. 856; Th. GOBERT, *Liège à travers les âges. Les rues de Liège*, IV (Bruxellis³, 1976), p. 394.
 8. D. MUZERELLE, *Vocabulaire codicologique. Répertoire méthodique des termes français relatifs aux manuscrits*, Lutetiae, 1985, p. 124 et fig. 126; J. LEMAIRE, *Introduction à la codicologie*, Lovanii Novi, 1989, p. 187 et pl. 21.
 9. De vita ac operibus H.-G. Wouters, vide P. FONTAINE, *Le Grand Séminaire de Liège au XIX^e siècle (1814-1901). Le corps professoral et l'enseignement théologique. Tome 2: biographies et publications*, Université de Liège, Mémoire de licence en histoire, 1991, pp. 224-226. Gratias habemus D. Gustin, qui nos certiores de illa dissertatione fecit.
 10. Vide exempli gratia *Mathieu Laensbergh ou Le politique municipal, provincial et national*, n° 45 (Dimanche 24 février 1828), p. 2, col. 1-2; n° 46 (Lundi et mardi 25 et 26 février 1828), p. 2, col. 2 et p. 3, col. 1; *Le Courrier de la Meuse*, n° 48 (Dimanche 24 février 1828), p. 2, col. 2; n° 49 (Lundi et mardi 25 et 26 février), p. 2, col. 2 et p. 3, col. 1; n° 51 (Jeudi 28 février), p. 3, col. 1; n° 52 (Vendredi 29 février), p. 3, col. 1; *Journal de Liège* (24 février 1828; 25/26 février; 27 février; 28 février; 2; 3; 5; 8 mars). De huius terrae motus magnitudine: W. SPONHEUER, *Erdbebenkatalog Deutschlands und der angrenzenden Gebiete für die Jahre 1800 bis 1899*, Berlini, 1952, pp. 19-20 et 184-185.
 11. Epistulae anno 1989, 7^a Aprilis et anno 1992, 25^a Februarii missae. Gratias maximas agimus Petro Alexandre, qui indicia pretiosa nobis dedit. ■

QUIS LECTOREM NOSTRUM ADIUVARE POTEST?

Dominus Vojtech Letko Slovacus libros quaerit, quos in sua regione invenire non potest. Qua de causa nos rogavit, ut hunc nuntium divulgaremus:

- Cultor liturgiae Latinae quaerit ex opere Missale Romanum cum lectionibus I-IV; 1977 formae pugilaris NIHIL NON volumen II vel totum opus. Pro dono faciam, quod iubebis, si id efficere possum.
- Quaero largitorem pro libro iam usitato singultim in lingua Francogallica in forma 11 x 17 cm. Missale feriale, Missale Dominicale.

Vojtech Letko
Francisciho 11
CS-811 08 BRATISLAVA


PAENE AUTUMNUS

SCRIPSIT BELLA STOELINGA

Auctrix harum paginarum multas fabulas fictas Nederlandice iam conscripsit, quibus mentem humanam variosque sensus inspicere solet. Ipsa unam ex eis nunc primum in Latinum vertit; itaque ostendit fieri posse, ut omnes sensus hodierni Latini exprimentur verbis.

Tractatur hic, magna cum sinceritate, quaestio quaedam feminarum propria.

*
* *



Ianuam claudo. Caelum est subcaeruleum, nebulosum; sol tenuiter lucet. Dies calidus est. Via nostra plena est parvulorum ludentium.

Vicina mea nititur cancellis horti anterioris. Custodit filiolum suum, qui secum murmurans circumvehitur trirota. Animo contento, «Nonne, inquit, sudum est? Non diceres iam paene autumnum esse.» Inspicit parvum riscum meum. «Iter susceptura es?»

«Sane aliquid eiusmodi», respondeo.

Coenautocinetum nunc alium aspectum praebet atque hora octava matutina, cum ad officium meum eo vehi soleo. Sedes occupatae sunt a matribus cum liberis. Quia situlas et palas parvas secum portant, eos ire ad litus maris puto. Etiam multi homines veteres adsunt. Omnes videntur laetari. Ego sola descendo in statione ante nosocomium.

Ianuae vitreae sponte sua se aperiunt, cum appropinquem. Nomen do secretariae. Postquam paulisper expectavi, apparet nosocoma, quae me rogat, ut se sequar. Percito ambulat, numquam respicit me. Vix cursum eius aequare possum. Quotiescumque deflectimus, mihi difficile est non delabi propter lubricas solas meas. In longis andronibus albis dispersi sunt lecti subrotati, in quibus aegri iacent. Tantum capita eorum video, quia bene tecti sunt. Homines vestibibus matutinis induti sellis subrotatis vehuntur.

Iterum sinistrorsum imus, deinde per aliquot

tabulata ascendimus anabathro. Sensus directionis omnino amitto. Nosocomium me totam absorbit. Tandem in aliquod atrium ducor, in quo sunt sex lecti.

Eorum in uno femina induta veste matutina flava sedet. Libellum periodicum legit. Oculos paulisper tollit et me salutat nutu. Nosocoma mihi armillam ex plastica factam circa bracchium aptat, in qua nomen meum typis expressum est, et mihi calorem corporis metitur. «Nunc, inquit, vestem mutare licet; in isto armario vestimenta ponas.» Deinde abit.

Aegra non sum. Mihi displicet iam nunc induere vestimenta aegrotae. Sectio chirurgica cras demum erit. Tergo verso ad lectum occupatum me denudo. Deinde induere vestimenta nocturna incipio. Hac camisia dormitoria induta ante quatuordecim annos filiam peperit et uno anno post filium. Eam servaveram quasi quoddam monumentum et apte ad hanc occasionem mihi visum est eam iterum promere. Olet sapone. Vestem matutinam heri emi. Chartula in qua scriptum est pretium adhuc affixa est. Cito id amoveo. Soleas mater mihi olim donum dedit, sed numquam antea gessi. Non mihi placent soleae, sed hic sunt obligatoriae. Cum sim parata, mihi videor permunda et aliquatenus auxilio destituta. Nova victima intrat, mulier florens aetate. Bonum aspectum praebet. Induta est bracchis Genuensibus et pelusia florata, sed post paucas minutas aequae miseranda est ac ego: est aegrotata, induta vestem matutinam et soleas. Subridens accurrit me, manum porrigit. «Nomen meum, inquit, Elisa est.» «Ego Selma vocor», respondeo. Nunc etiam altera femina e lecto surgit. «Miranda sum».

«Vosne etiam hic adestis ut sterilisationem patiamini?» interrogo.

Apparet rem ita se habere.

Elisa perulam sumit et capsellam sigarellorum capit. «Nosocoma mihi dixit hic aliquo loco esse exedram ubi sedere et fumificare licet. Itisne mecum?»

Exuo soleas et sub lectum suppono. Certe nemini erit curae me pedibus nudis esse.

«Est res insana fortasse», parva voce dico Elissae, dum in androne procedimus, «sed subito dubito, utrum re vera faciam necne».

Elisa me aspicit cogitans parumper. Deinde laeta «Ego non», inquit. «Familia nostra completa et perfecta est numero». Exedra plena est feminarum. Sunt quae acubus texunt, aliae chartulis ludunt, sunt quae colloquuntur inter se. Fumus sigarellorum lente ascendit ad lacunas. Elisa et Maia assident. Ad fenestram ambulo. Procul infra me domos aedificari video. Autocarra lapidibus plena advehuntur; structores muros extruunt; infantes paene nudi in cumulibus harenae ludunt. Est re vera aestas pulchra.

Sane licet adhuc relinquere nosocomium, domum redire.

Audio nomen meum, magna voce editum. Me vertens video nosocomiam stantem apud ianuam manu papyrum tenente. Ad eam accedo. «Ordo, inquit, te vocat. Debes radi. Sed ubi sunt soleae tuae?» «Quid?? Radi??», mecum dico.

Nosocoma instat, ut primum soleas meas induam. Deinde me ducit in parvum conclave. Pilus pudendus a muliere truculenta subtiliter amovetur, novacula mea opinione satis hebeti. Quo facto pudenda mihi uruntur. Laesitne me? Ad locum secretum propero, sed feliciter omnia apparent optime se habere.

Reversa ad exedram non iam quemquam adesse praeter puellam quae pocilla cafearia sordida colligit video. «Prandium iam appositum est. Redeundum est tibi ad lectum tuum.» mihi explicat.

In mensa parva iuxta lectum invenio catinum chalybeium magnum, in quo quinque cava sunt. Eorum in uno poma terrestria insunt, in secundo brassica bullata, in tertio copadium, in quarto embamma, et in ultimo placenta. Laeta aspicio cibos: semper me delectat edere quod non ipsa coxi.

Vix omnia edi, cum medicum lecto meo appropinquantem video. Me rogat, ut secum veniam ad conclave suum. Mentem trepidam sequor. Si re vera animum mutare volo et fugere sectionem chirurgicam, nunc mihi est loquendum.

Assido et medicus incipit cito recitare seriem morborum infinitam. Respondere debeo, utrum umquam adflicta sim his singulis morbis necne. Deinde explicat, quid et quo modo cras futurum sit. Monstrat delineamenta et imagines membrorum muliebrium. Non bene ausculto. Expecto, dum taceat paulisper. Sed cum in fine quaerat, num quid aliud ex se inquirere velim, abnuo. Esset nimis insanum nunc aufugere. Iam per tredecim annos cottidie pillulam contraceptivam sumo. Hoc modo per multos deinde annos pergere mihi videtur non prodesse valetudini. Penis integumenta Marco non placent. Spiralem uterum temptavi, sed mihi erat incommodum. Per longum tempus

rem meditata sum. Ratione decrevi. Nunc melius est haerere in sententia mea.

Sed cum primum sto extra officium medici, iterum intranquilla facta sum. Ambulatiunculam per andrones facio. Mihi tertium appropinquantem anabathris magnus grex hominum obviam venit. Aestive vestiti flores in manibus portant. Nimirum est hora visitandi. Mater me hoc meridie visere statuit et, quamquam hoc mihi non opus esse dixeram, consilio desistere noluit. Apparet iam sedere iuxta lectum meum. «Salva sis», dico. Mihi basia in genas dat. «Ubi fuisti?»

«Ah, ambulavi paulisper», murmuro. Subito vix retineor, quin lacrimem.

«Hodie, inquit, mane mirabar, qua de causa vere cuperes sterilisari. Tibi sunt liberi tam dulces et tam pulchri. Quare non potius sumis iterum infantem?»

«Id tu quidem, mater, iam scis. Vellem iterum infantem habere. Marco molesta fui per multos annos de hac re. Sed eheu, non vult tertium infantem parere.»

«Sed rebus sic stantibus quare Marcus ipse sterilisationem non subiret?» rogat mater innocenter. «Nunc autem a te res nimis facilis ei facta est.»

«Immo, respondeo percita, revera ipse subire voluit. Sed timebam, ne virilia laederetur.»

«Maneas tranquilla, quaeso.» mater dicit, cum furtim circumspicit Elisam et Maiam et earum visitatores.

«Et insuper, inquam, animi virorum tenues sunt. Fortasse putaret se nunc invalidum esse. Fortasse venere uti ei non iam placeret.»

«Noli tumultuari», mater sibilat. «Vetustior sum, quam ut talia colloquia turpia habeam. Et omnes nos audire possunt.»

Bracchium meum capit. «Cito, veni mecum. Cauponam in pedeplano vidi. Edamus tortam.»

Dum stamus in anabathro eam aspicio. In capite habet novum petasum stramineo colore nigro. Aspectum maestum praebet. «Tu, inquit, tam discordi videris animo. Num de sterilisatione certum tibi est?»

«Certum», dico,prehendens manus eius. Ego ipsa etiam nunc non iam infantem habere vellem. Officium iucundum gero, sodalis sum consociationis teniludii, libera sum et vitam suavem ago. Persuadens matri mihi denuo persuadeo.

Ultimas horas postmeridianas legendo libro, quem mecum portavi, tero.

Hora sexta omnes iterum cibos accipiunt, et deinde est tempus visitandi vespertinum.

Marcus intrat. Mihi arridet. Magnum fascem florum secum habet. Rogat quid mihi evenit hodie. Breviter narro, quae facta sint. Deinde taceo. Quomodo sensus animi mihi conturbatos verbis exprimam, nescio. Marcus me

aspicit. Non est vir loquax, sed plane cupit silentium perrumpere. Incipit loqui de rebus quas legit in actis diurnis, multa verba facit et iocum quem hodie audivit narrat.

«Marce», dico haesitans.

Me aliquid dixisse non animadvertit. Nunc loquitur de ordinatris et eorum utilitate. Per aliquod tempus sino eum perloqui. Deinde «Marce», dico procaciter eius verba interrumpens, «putasne fore, ut hanc sectionem chirurgicam doleam? Est aliquid tam irreparabile.

«Non, certe non.» Marcus dicit. Horologium inspicit. «Hora visitandi iam paene transiit.»

«Ausculta, quaeso, paulisper», irata exclamo.

«Vae, tu triginta sex annos nata es, et ego quadraginta. Tempus liberos creandi nobis peractum est. Et de hac re iam multum disputavimus. Quomodo aspectum novum inveniamus, mihi excogitare non possum.»

Non respondeo. Recte dixit.

Nosocoma intrans visitoribus nunc esse abeundum nuntiat. «Si re vera nolis sterilisari, adi medicum et dic te proficisci, et deinde domum veni», Marcus dicit. Mihi basium dat et capillos meos mulcet, ut qui animum mihi confirmare velit. «Amasne me?» rogo. «Certe», dicit, iam ad ianuam procedens.

In exedra Elisam invenio, quae viro procero et duobus parvis liberis pulchris valedicit. Ex televisorio sonus magnus auditur. Elisa strepitum extinguit. Excitata esse videtur. Nos ambae assidimus in angulo.

«Totam horam Victorio explicare conata sum, quid cras mihi eventurum sit», dicit voce turbida. «Tu scis id quod narravit medicus meridie delineamenta demonstrans. Sed Victorius continuo televisorium furtim aspexit. Certamen pedifollii praebebatur.»

Cogito de ordinatris et eorum utilitate, et risum edo.

Colloquium iucundum de maritis nostris et de viris generaliter habemus, donec nosocoma venit, dicens nunc oportere, ut cubitum eamus.

Luminibus extinctis post fores vitreas interdum nosocomas ambulantes per andronem illuminatum video. Partes sermonum earum audio. Maeste manu mulceo locum glabrum ubi pilus pudendus fuit.

Foris aperitur. Lumina iterum accenduntur. Medicus intrat et ex papyro recitat, quo ordine cras nos adiuturus sit. Primum Maiam, deinde Elisam et in fine me. «Adiuvare» ille vocat id quod faciet, tristis cogito.

Postridie mane expergefata, statim trepidationem animadverto. Maia stat apud labellum se lavans. Elisa aliquid quaerit in perula. Nosocoma monet, ut prope-

mus.

Repente incertam me sentio.

Maia in lecto assidit. Nosocoma adstante vestem dormitoriam et subligar exuit, deinde camisiam curtam colore albo induit, quam nosocoma a tergo claudit vinculis. Crines eius pilleo albo singulari tegit. Ei iniectionem dat, ut fiat tranquilla. Tum eam iubet recumbere et animum remittere. Post paucas minutas Maia dormire videtur.

Quo me vertam, nescio. Magnam perturbationem efficerem, si hoc ipso tempore abire vellem. Nunc certe sero est.

Post semihoram Maia in lecto abducitur. Nosocoma nunc Elisae tradit camisiam et pilleum et iniectionem dat. Sudare incipio. Conor colloqui prudenter mecum ipsa, iterum numerare rationes et momenta, quae me moverunt, ut sterilisationem admitterem. Elisa non tam otiose iacet quam modo Maia. Aliquotiens graviter et audibiliter fremit et gemit. Subito dicit insolita voce: «Dubito, utrum pergere velim necne. Vere iunior sum, quam ut talem sectionem chirurgicam subeam.»

«Tibi assentior», dico, verbis eius necopinatis laeta. Elisa ferociter se sublevat, camisiam vehementer vellit a corpore et de capite pilleum. E lecto desilit et conturbata mente citato gradu circumcurrit, continuo cursum flectens, velut si nesciat, quo affugiat. Perfusca est colore. Mammamagnas habet, quae vehementer fluctuant, et crura firma. Nates eius praebent aspectum mollem et innocentem; tantum ibi cutis non fuscata est sole.

«Me hic retinere non possunt» exclamat anhelans. Denique decernere videtur, quid nunc primum sibi faciendum sit. Valde properans vestimenta sua ex armario promere incipit. Hanc scaenam aspectu plus atque plus gaudens.

Nosocoma quae modo iterum intravit, subito sistit. «Domum eo» Elisa minaciter exclamat. «Noli conari me impedire.»

Intra minutam medicus vestimentis chirurgicis indutus advenit. Elisam placat. Eum audio dicentem: «Nonnumquam accidit, ut aliqua mulier sententiam mutet in ultimo temporis momento.» Se eam non clam sterilisaturum esse asseverans mox ei persuadet, ut dormiat aliquot horas, donec effectus iniectionis finiatur.

Cum omnia iterum tranquilla facta sint, nosocoma mihi appropinquat. Statim plurimas lacrimas effundo. «Sis modo tranquilla», dicit humane, «noli timere sectionem chirurgicam. Certe nihil animadvertes, nihil senties.» Manus ad me porrigit, ut me adjuvet in exuenda veste dormitoria, sed hostiliter recedo. «Sed timor non est causa lacrimarum», clamo. «Nolo infertilis esse.»

Quam iucundum est iterum indutam esse vestimentis et calceamentis solitis. Cum festinans

pulchros flores Marci ex vase sumam et res meas in risco farciam, Mala invehitur. Arto somno dormita adhuc iacet. Misericordia commota eam aspicio. Numquam iterum liberos parere potest. In mensula iuxta Elisae lectum, quae nunc placide dormit, depono grato animo papyrus, in quo scriptum est nomen meum et inscriptio cursualis.

Nescio, an non umquam aliquid ex ea cognoscam.

Paulo post in via ante nosocomium sto. Auto-raedam longam advenientem video. Quamquam post decem minutas iterum tale vehiculum venturum esse scio, quam celerrime ad stationem curro. Anhelans et fasce florum triumphans, tesseram vectoriam emo. ■

AD BIBLIOTHECAM LATINAM AUGENDAM...

S. ALBERT, Cottidianum Vocabularium Scholare. Theodisco-Latinum, Latino-Theodiscum, Franco-gallico-Latinum, Latino-Francogallicum, Saraviponti (Saarbrücken), Societas Latina, 1992, 104 pp.

Ecce liber perutilis. Nam magistris, qui plures pluresque cupiunt institutionem Latinam facere vividiorum, non semper est consuetudo Latine loquendi. Desiderantur autem instrumenta didactica, quibus viva institutio inniti possit. Hoc bene scit D.rix Sigrides Albert, quippe quae iam saepe docuerit artem vivo modo docendi; qua de causa in publicum proponit hoc vocabularium, magistris imprimis dedicatum, in quo inveniuntur locutiones aptae et verba quae spectant ad scholam vitamque cottidianam. Insunt verba non solum antiqua, sed etiam recentiora et nonnulla omnino novata.

Inter multa alia, exempli gratia, discetis illud corculum rubrum, quod in superiorem Melissa fasciculum inseruimus, vocari "fibulam chartarum" (Fr. trombone, Th. Büroklammer). Legendo etiam discetis "bonum diem" recte exoptare, pensa inspicere ("Scribite, quaeso, pensum vestrum quam accuratissime"), discipulos Latine reprehendere ("Desinite garrere!"; bona techna: discipulos his verbis ita attonabitis ut statim taceant). Etiam insunt horae, quomodo sint indicandae (8.30 h. = hora octava semis) et verba quae ad grammaticam pertinent (sicut "semicolon", "sententia primaria", "enuntiatio").

Denique, cum agatur de institutione viva, auctrici utile visum est longitudinem vocalium signare. Itaque magistris nullus superest praetextus Latine non loquendi.

G. TOURNOY, Th. SACRE, Pegasus devocatus. Studia in honorem C. Arri Nuri sive Harry C. Schnur, Supplementa Humanistica Lovaniensia VII, Lovanii (Leuven), Leuven University Press, 1992, 272 pp.

Quis fuerit Arrius Nurus, si nescitis, hic liber vobis, ut mihi, multa docebit. Certe non ignorabam illum virum (1907-1979) fuisse Latinissimum et doctissimum, sed de eius vita nihil umquam audiveram nesciebamque eum tot opera scripsisse. In studiis, quibus Gilbertus Tournoy et Theodoricus Sacré eum honorant, Nuri invenietis narrationem vitae ingentemque bibliographiam; etiam explicatur eius Latina poesis edunturque selecta opera, inter quae delectabile "Supplementum Petronianum". Cuius supplementi - et imperfecti: mors auctorem rapuit antequam totum propositum assecutus est - praefatio, a Theodorico Sacré conscripta, est suavissima praegustatio; nemo esse potest quin praefatione lecta legere cupiat ipsa Nurri Petroniana.

Ceterum, ut vos inducam in tentationem legendi, consilium sequar Professoris Sacré, qui more Augustiniano monet: "Tolle, lege: num vel longa, vel fastidiosa tibi videtur oratio? Nonne titillant tibi manus parvulum volumen ad umbilicos evolvere cupientes?" atque initium Nuri operis vobis propono:

"ENCOLPI CASUS - Natus sum Ser. Galba L. Sulla coss. e matre Aglaia, servilis quondam status. Genitor quis fuerit non satis constat: contubernalem mater habuit, qui tamen tredecim menses antequam lumen aspectu cornibus tauri iactatus et laceratus misere obiit. Formosissima autem mater erat, quod erum non latuisse ferebant; mater autem contubernalis istius filium me esse asseverabat, neque certum vero parlendi tempus statutum esse.

Cum autem dolores parturientis incepissent, tam male res se habebat, ut obstetrix medicum arcesseret, qui desperatam esse ero nuntiavit. Accurrit M. Terentius et qua erat humanitate matrem quasi in articulo mortis periclitantem continuo manumittit - credo quia matrem in partu perisse laetum nato omen esse habetur.

Paulo post autem salva matre vitae limen trivi, ingenuus ergo natus, non libertinus..."

LATINE LOQUI...

UBI CONDISCATUR



SEMINARIA LATINITATIS VIVAE

Doctor P. Caelestis EICHENSEER, qui permulta seminaria iam moderatus est compluribus in regionibus Europae, iucunde docet sermonis Latini usum cottidianum.

Anno 1992 duo fient seminaria Latina:

- in Helvetia: **Morsaci [Morschach], 26 m. Iulii - 1 mensis Augusti a. 1992.**

Interroganda est: Erica Roth, Aeschistrasse, 6
CH-3110 Münsingen (tel. 031/721.08.23)

- in Belgica: **Vavriae [Wavre], 7-14 m. Augusti a. 1992.**

Interrogandus est: Dr Gaius Licoppe, Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles (tel. 02/735.04.08)

FERIAE LATINAE

Nicaeae [Nice] in Francogallia; anno 1992 Feriae fient **a die 18 in diem 25 m. Augusti.**

Interrogandus est: Clemens Desessard, 9, résidence des Collines, rue Leo Brun
F-06210 Mandelieu

SEMINARIUM L.V.P.AE

Latinitati Vivae Provehendae Associatio (L.V.P.A.) hoc anno seminarium instituet Pragae **a die 2 in diem 9 m. Augusti.** Interrogandus est: Marius Alexa, Burgstrasse, 3, D-4712 Werne

FERIAE LATINAE IN CARINTHIA

Fient in domo c.n. Sodalitas, in regione pulcherrima Carinthiae, **a die 12 in diem 18 m. Iulii.**

Interrogandus est: Felix W. Kucher, Sodalitas, A-9121 Tainach/Tinje

FREQUENTATE TUBINGAM

Tubinga 40 chiliometra ab urbe Stutgardia distat; ibi vixerunt Philippus Melanchthon et Fridericus Hoelderlinus. Huius urbis periegesis fiunt Latine. Scribite ad:

Verkehrsverein Tübingen, an Der Neckarbrücke, Postfach 2623, D-7400 Tübingen.

DOMUS LATINA

Lingua Latina vivo modo docetur omni Lunae die, hora 19.30 (64 avenue Albert-Elisabeth, 1200 Bruxellis).
Programma huius anni: textus leguntur parum noti, et antiquiores et (praesertim) recentiores.

CONVENTUS INTERNATIONALIS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

Diebus 2-6 mensis Augusti 1993, iubente et patrocinate Academia Latinitati Fovendae, in studiorum universitatibus Lovaniensi (dd. 2-4) et Antverpiensi (dd. 5-6) apud Belgas generalem Latinitatis conventum convocabunt studiorum classicorum subfacultates Lovaniensis et Antverpiensis, Facultas theologica Lovaniensis, Institutum Philosophicum Lovaniense, Intitutum studiorum mediaevalium et Sectio mediaevalis subfacultatis historicae Lovaniensis, Seminarium philologiae humanisticae Lovaniense. Argumentum disputandum et meditandum proponetur hoc: *Latinitas sive commune totius Orbis Occidentalis patrimonium: quae fuerit, quae sit, quae mox futura videatur.*

Si plura scire cupitis, scribatis ad praesidem: J. IJsewijn, Seminarium Philologiae Humanisticae,
Erasmushuis, Faculteit LW,
Blijde Inkomststraat, 21
B-3000 Leuven.